



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 361. Usque Ad Annum 395

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 90117786

§. 6. Valens Arianorum Patronus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66032)

Priscum iussit, sed iste ab omni crimine absolutus, & dimissus, in Græciam rediit. Contra Maximum populi clamor in Amphi-Theatris invaluit, multique Imperatorem rogabant, ne impunem relinqueret. Ad magnam pecuniæ vim reddendam multæ nomine damnatus est, nemo enim erat, qui non bonorum Reipublicæ prædonem crederet. Præter multam pecuniariam crudelibus quoque tormentis affectus, ut his se liberaret, uxori, tunc præsentem, mandavit, ut venenum emeret, optimum tantis malis remedium; illa marito obtemperans, poculum attulit, prior bibit, & extincta est. Maximus non bibit, nam eum tantis periculis Clearchus eripuit; is Proconsul Asiæ creatus est illo tempore, quo Procopius seditionem moverat, tuncque Imperatori Valenti feliciter persuasit, ut miserum Maximum, remissa etiam multæ parte, liberum dimitteret. Ita tunc quidem Maximus mortem evasit. Orbasus medicus alter Juliano olim familiarissimus, bonis exutus, & ad Barbaros relegatus est.

§. VI.

Valens Arianorum Patronus.

Bello civili sex mensibus confecto, brevi iterum Valens eos, qui diversas a suis in Religione opiniones tenebant, persequi

Sæculum IV.
A. C. 365.

*Eunap. in
Max. p. 98.*

*Lib. or. fun.
p. 327.*

*Eunap.
Orib. p. 173.*

*Soz. VI. c. 8.
Socr. IV. c. 6*

Sæculum IV. sequi cœpit. Magna ira ardebat in E-
A. C. 366. piscopos Concilii Lampfaceni, quod sententiam in Arianos, & Concilium Arminense pronuntiaffent; in illo animi impetu Eleusium Cyzicenum acciri jubet, convocatisque Episcopis Arianis, imperabat, ut cum illis communicaret; initio quidem Eleusius viriliter resistebat, at deinde exilium timens, bonorumque suorum jacturam, in ea, quæ petebantur, consensit. Mox facti pœnitentia subit, nam Cyzicum reversus, coram omni populo peccatum suum confitebatur, illam communionem metu a se extortam cum lacrymis affirmans, monebat etiam, alium digniorem se, eligendum esse Episcopum; at populo Cyziceno Episcopi sui virtus tanto in pretio erat, ut Successorem ei deligere nec vellent, nec possent. Catholicis, qui Constantinopoli erant, id est, qui fidem Nicænam sequebantur, non melior sub Valente fors obtigit, quam Semi-Arianis. Novatianos etiam unacum Catholicis ejusdem persecutionis furor corripuit, quod eandem de Trinitate fidem tenerent. Omnes sine discrimine Constantinopoli pulsî. Jussu Imperatoris Novatianorum Ecclesiæ clausæ; Catholici enim ab eo tempore, quo sibi a Constantio ereptæ fuerant, nullas habebant.

Soz. VI. c. 9.

§. VII.